



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

1. An Iurisdictio DD. Inquisitorum sit delegata, vel ordinaria? Et an Iurisdictio Inquisitorum, etiamsi fuerit concessa cum clausula usque ad bene placitum, non expiret, nec cesset morte concedentis. ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

TRACTATUS DECIMVS. DE OFFICIO ET POTESTATE INQUISITORVM.

RESOLVTIO PRIMA.

An iurisdicção DD. Inquisitorum sit delegata, vel ordinaria?
Et an iurisdicção Inquisitorum etiam si fuerit concessa cum clausula usque ad beneplacitum, non expiret, nec cesset morte concedentis? Ex part. 4. tractatu 8. Resol. 1.

S E delegatam putant Doctores, quos citat Narbona in 3. part. recopilat. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 22. num. 79. quibus ego addo Zanardum in direct. Theol. part. 2. prec. 1. cap. 6. Moscovium de maiest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11. Butrium in cap. Legatos de off. legati, in 6. & Homobonum de statibus part. 1. cap. 8. Alij vero putant esse ordinariam, & sic docet Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. quest. 2. & in defens. cap. 1. num. 1. & hanc opinionem novissime mordicus tenet & solidissimis rationibus probat Ioann. Dionysius Portocarrero in alleg. sobre la competencia de jurisdiccion entre la Inquisicion y ministros reales, num. 48. & ante illum Didacus Cantera in 99. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quest. 1. num. 65. fol. mibi 157. ubi asserit Inquisitores habere iurisdictionem ordinariam, unde non mihi placet opinio Barbosa in l. Prator. §. 1. num. 65. ff. de iudic. qui ponit differentiam inter Inquisitorem generalem, & alios Inquisitores, dicens illum habere iurisdictionem ordinariam, hos autem delegatam, quia ceteri Inquisitores sunt removibiles ad nutum Inquisitoris generalis, non inquam, mihi placet hæc opinio, quia etiam Inquisitor generalis est ad nutum Summi Pontificis amovibilis; non est ergo verum dicere, quidquid asserant Simanca & alij, ceteros Inquisitores esse delegatos ejusdem Inquisitoris generalis, & ab eo iurisdictionem accipere, nam omnes immediate à Summo Pontifice iurisdictionem accipiunt, mediante sola nominatione personarum facta ex commissione Pontificis sibi indulta, & hæc omnia recte contra Barbosam docet alter Barbosa in calceat. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. n. 11. & 12. Torreblanca de magia lib. 3. cap. 5. num. 2. 11. & 12. cum Molina de justit. tom. 5. tract. 5. disp. 29. num. 7. Soula post hæc scripta in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 2. num. 4. & ideo Portocarrero ubi supra, asserit loquens de aliis Inquisitoribus [en ninguna de las dichas calidades se diferencia del Señor Inquisidor general, cuya jurisdiccion es sin duda ordinaria.] & hæc opinio est probabilissima; sed ego utramque sequor. Ideo assero iurisdictionem Inquisitorum in se quidem & à principio delegatam esse, & habere omnes excellentias delegatæ iurisdictionis; ad ordinariam tamen valde accedere, & cum

illa ferè in omnibus convenire, ita ut careat imperfectionibus delegatæ, & ita eleganter probat & docet Augustinus Barbosa ubi supra, citans Molinam, quem etiam sequitur novissime Emanuel de Valle de Moura opusc. 1. de ensal. & incantat. sect. 3. cap. 1. num. 6. & Sanctarellus tract. de heresi cap. 40. dub. 1. num. 5. ubi asserit esse veriore, & communiorem sententiam, iurisdictionem Inquisitorum valde accedere ad ordinariam, & ita ego sentio. Vnde rectè Emanuel ubi supra, asserit iurisdictionem Inquisitorum esse ordinariam quoad utilitates ordinariæ, & esse delegatam quoad utilitates delegatæ.

2. Notandum est etiam hic obiter, quod iurisdictioni Inquisitorum etiam si fuerit concessa cum clausula, usque ad beneplacitum, non expirat, nec cessat morte concedentis, & hoc in favorem fidei. Ita Soula in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 2. num. 5. Farinacius de heresi, q. 186. §. 2. num. 23. & Pegna in director. par. 3. comment. 56. & 57. & alij ubi inf. citandi, peculiari resolutione de hac questione faciendi.

Inf. in Resol. quæ nunc hanc sequetur, signanter in fine.

RESOL. II.

An iurisdicção Inquisitorum expiret per mortem delegantis, si etiam unam causam non inceperint, ante illius mortem?
Et quid de iurisdictione Vicarij, seu Commissarij, aut alterius delegati per mortem Inquisitoris? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 19.

R Espondeo negativè, Ex cap. ne aliqui, & ibi Glossa in ver. non capta, de heret. in 6. & ita docet Eymericus in direct. Inquisit. part. 3. quest. 7. & ibi Pegna & Iason in l. majorum, n. 10. ff. de iurisd. omni. jud. Imò non solum expirat iurisdictioni Inquisitoris, sed nec minus expirat iurisdictioni Vicarij, seu Commissarij, aut alterius Delegati per mortem Inquisitoris. Vide Thom. Trevisanum lib. 1. decis. 66. n. 7. 9. & 10. Decian. tr. crim. lib. 5. cap. 20. n. 8. & cap. 22. n. 5. & 29. Scaccia de iudic. lib. 1. cap. 67. n. 8. Simancam in Cathol. institut. 34. n. 14. Rojas singul. 114. n. 3. Pegna in direct. Inquisit. par. 1. comm. 56. & 57. Azonium 10. 1. lib. 8. cap. 18. quest. 7. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 28. n. 34. & alij penes ipsos. Dicendum est igitur, quod officium Inquisitoris non expirat morte concedentis, ut v. g. Patris, Inquisitoris majoris, &c. nec quoad negotia quæ nondum erant orta, vel cepta, & hoc etiam procedit, ut dictum est in resol. 1. etiam si talis iurisdictioni fuerit concessa cum clausula, usque ad beneplacitum, & hoc in favorem fidei.

Ad robotandam doctrinam huius Resol. tom. 1. tr. 3. lege ref. 8. &c. & leg. hic sup. §. ult. ref. præterit.

Quæ hic est ref. antecessens, in ejus §. ult.

RESOL.